

nere (in Ioann. Tract. VI: De Bapt. L. IV, cc. 3. 4. L. VI, c. 3); imo perseveraturos in sua malitia ad Christi corpus non pertinere (in Psal. CXXXIX) et Corpus Christi quod est Ecclesia in ipsa dextera, h. e. in ipsa beatitudine futurum (De Agone Christiano c. 26.).

Iam vero manifestum est interpretationem a Protestantibus adhibitam his Augustini locutionibus esse prorsus falsam. Nam certum est primo Augustinum acriter impugnasse haeresim Donatianorum, et defendisse contra eos dogma catholicum: porro haec erat haeresis Donatiana: peccatores saltem manifestos non spectare ad Ecclesiam: dogma catholicum erat Ecclesiam in praesenti statu bonis et malis constare: Augustinus autem eas frequentat locutiones in operibus contra Donatianos. Ergo fieri non potest ut iis locutionibus ipse voluerit docere ex solis sanctis Ecclesiam coalescere, quae est affirmatio includens affirmationem donatianam et aliquid amplius. Certum est secundo Augustinum cum ceteris Patribus Africanis in quaestione Donatiana nunquam excogitasse aut probasse duas Ecclesias, sed unam tantum semper defendisse. Nam exprobrantibus Donatianis (cf. Breviculum Collationis die tertia) quod catholici aliquo modo duas Ecclesias facerent, unam quae nunc habet permixtos malos, alteram quae post resurrectionem eos non esset habitura; responderunt Catholici, inter quos Augustinus, calumniam hanc esse, seque id tantum docere « eandem ipsam unam et sanctam Ecclesiam nunc esse aliter, tunc autem aliter futuram.... sicut non ideo duo Christi sunt, quia prius mortuus, postea non moriturus. » Et Augustinus L. III. De Doctrina Christiana c. 32. in ea verba Cantorum: *nigra sum sed formosa*: advertit quod ipsa una eademque Ecclesia nunc est nigra propter malos quos in se habet, et est formosa propter bonos.

His positis adverte quod ratio qua Augustinus motus est ad frequenter inculcandum id quod illis locutionibus continetur, fuit primum polemica; ut nempe argumento ad hominem refelleret argumenta Donatianorum (cf. de Baptis. L. VI et VII), quibus illi contendebant haereticos non posse conficere sacramenta. Duplex scilicet erat error Donatianorum, alter: Ecclesia constat bonis et malis quoque sed occultis: alter, qui est extra Ecclesiam nequit sacramenta conficere. Cur vero? quia nequit dare Spiritum Sanctum quem non habet. Et ut se tuerentur Donatiani provocabant ad auctoritatem Cypriani eiusque Episcoporum in Concilio tertio Carthaginiensi, qui pluribus argumentis probare contenderant haereticos non posse baptizare et sacramenta cetera conferre, eo quod non possent dare Spiritum S. quem non habebant. Iam vero Augustinus ut vim argumentorum adversariorum infringat, eosque sibi ipsis contradicere

ostendat, respondet quod si haeretici non possunt sacramenta dare, ut volebat Cyprianus cum suis; si idem non possunt manifesti peccatores, ut Donatiani volebant; nec pariter poterunt mali, quicumque sint, etiam mali occulti: nam neque hi habent Spiritum S. ideoque et hi non possunt dare quod non habent. Quam responsionem ita informat Augustinus: si haeretici et publici peccatores nequeunt dare sacramenta quia sunt extra Ecclesiam quae habet Spiritum S., neque occulti peccatores poterunt sacramenta conferre, quia et ipsi sunt extra Ecclesiam, eam scilicet quae habet Spiritum S., nam ipsi eo carent non secus ac manifesti peccatores. « Sicut urgeri videor, cum mihi dicitur: ergo haereticus dimittit peccata; sic et ego urgeo cum dico: ergo qui caelestia mandata non servat, avarus, raptor, foenerator, invidus, verbis non factis seculo renuntians, dimittit peccata. Si per vim Sacramenti Dei, sicut et ille, ita et ille. Si per meritum suum, nec ille, nec ille. Illud enim Sacramentum et in malis hominibus Christi esse cognoscitur: in corpore autem unice columbae, incorruptae, sanctae, pudicae, non habentis maculam aut rugam, nec ille nec ille invenitur » (De Bapt. L. IV. c. 4.). Hinc quia Ecclesia ad hoc est instituta ut omnia eius membra habeant Spiritum S. caritatem et gratiam; et proinde huiusmodi membra sunt pars ipsius praestantior, atque adeo perfectiore modo spectant ad Ecclesiam quam mali; et idcirco illorum adunatio potiore quodam titulo vindicat sibi Ecclesiae nomen: et quia haeretici nullam etiam Ecclesiam videbantur concipere quam Ecclesiam Sanctam in omnibus suis membris, quae non est nisi pars nobilior verae Ecclesiae; ideo Augustinus accurate distinxit inter totum quod est Ecclesia universa et partem eius nobiliorem, quae est Ecclesia Sanctorum, quam vocat columbam sanctam, pudicam; quae distinctio vera in se est. Hac autem distinctione coactus est frequenter Augustinus uti ut haereticos refelleret; ut nimirum vitium argumenti eorum patefaceret qui confundebant perfectum modum existendi in Ecclesia cum eo qui simpliciter necessarius est ut quis sit in Ecclesia, seu confundebant id quod requiritur ut quis sit utiliter in Ecclesia, cum eo quod requiritur ut quis simpliciter sit (Cf. Tract. VI in Ioan. et De Bapt. L. IV. c. 2. alibique saepe): atque ut ostenderet eos contradicere sibi, qui tum ab Ecclesia, eo quod sancta sit, plures peccatores excludebant, tum nihilominus peccatores occultos admittebant: ab Ecclesia enim sic accepta omnes malos alienos esse docet.

Alia ratio usurpandi eas formulas petenda est ex ingenio Augustini; certum est enim morem fuisse Augustino res consideranti id potissimum in eis spectare quod praestantius in illis esset, et id

quod esse deberent (Cf. Faure Euchir. cc. 1. 2.); hoc modo iusti et perseverantes usque in finem sunt Ecclesia: quia ad eam spectant perfecto modo veritate essentiae, atque etiam finaliter. Porro eo pacto quo iusti soli dicuntur membra Ecclesiae et Christi, peccatores seu damnati dicuntur non posse esse membra Christi: in loco enim citato damnati non sunt nisi peccatores, qui converti possunt et Christo rursus incorporari.

Ceterum certum est 1^o non negare simpliciter Augustinum malos esse in Ecclesia, sed secundum quid, scilicet negat esse in illa Ecclesia quae dicitur et est columba pudica, incorrupta, non habens maculam aut rugam, quae utiliter habet sacramenta, quae est Ecclesiae in his terris degentis pars praestantior, quaeque mansura est in aeternum. « Ubi cumque (ait Retract. L. II, c. 18) in illis libris (septem scilicet de Baptismo) commemoravi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est quasi iam sit, sed quae praeparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias et infirmitates membrorum suorum habet unde quotidie tota dicat dimitte nobis debita nostra. » Quocirca accurate Augustinus distinguit cum ceteris Episcopis catholicis Ecclesiam quae deorsum est et Ecclesiam quae est sursum, non quatenus duae sint Ecclesiae quod diserte negat Donatianus id obiicientibus, sed quatenus alio et alio modo se habet, quod discrimen in eo est quod Ecclesia in his terris bonis constet et malis, illa vero tantum bonis, haec tabernaculum sit, illa domus (in Breviculo Collationis die tertia. In Psalm. CXXXI, n. 10).

Certum est 2^o asserere Augustinum malos esse in Ecclesia non solum quatenus commixti sint bonis per quamdam veluti iuxtapositionem; sed quatenus socialiter cohaereant cum bonis, colligati scilicet in unam societatem quae est ipsa Ecclesia. Huc enim spectat ea loquendi ratio malos coniungi bonis per Sacramentorum vinculum quo homines in unam societatem religiosam adunantur: « In nullum enim nomen religionis sive verum sive falsum coagulari homines possunt nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilibus consortio colligentur » (adv. Faustum L. XIX. c. 11): neque ad ea participanda ius habent nisi qui ad eandem societatem religiosam cuius ipsa sunt pertineant. Porro cum mali simpliciter dicuntur in communionem Sacramentorum simul esse cum bonis, communio ea intelligitur quae illis iure sociali competit; secus enim et de schismaticis haeticisque manifestis ceterisque infidelibus affirmari idem posset qui illos sacros ritus quomodocumque usurpent: quod quidem alienum est ab Augustini mente. Quocirca mali ratione communionis Sacramentorum dicuntur esse in Ecclesia, et in con-

gregatione christiana: « In Congregatione Christiana (inquit Serm. XV. n. 2) quantum pertinet ad participationem et communionem sacramentorum, multiplicati sunt super numerum. Alius est ergo numerus, alii super numerum. Numerus est, de quibus dicit Apostolus: novit Dominus qui sunt eius. Super numerum autem: quoniam in magna domo non solum vasa sunt aurea et argentea, sed et lignea et fictilia. » Quapropter malos paleas vocat Augustinus sed interiores prae paleis separatis quae sunt haeretici Cont. Crescon. L. III. c. 67. « Non, inquit, communicat Oriens Africae, et Africa Orienti. Non sane, sed in paleis haeticis ab area dominica separatis: in frumentis autem catholicis et interioribus paleis omnino communicat Oriens Africae et Africa Orienti. » Hinc mali dicuntur esse in corpore Christi (Serm. CXXXVII. n. 1). « Iesus Christus caput est Ecclesiae, et est corpus eius Ecclesia, et in eius corpore unitas membrorum et compago caritatis tamquam sanitas existit. Quicumque autem in caritate frigerit, infirmatur in corpore Christi. Sed potens est ille, qui iam exaltavit caput nostrum, etiam infirma membra sanare, dum tamen non nimia impietate praecedantur, sed haereant corpori donec sanentur. » Ideo fideles omnes ad corpus Christi pertinere docet in Psal. LXII. n. 2.

Quocirca cum Augustinus negat malos ad Ecclesiam spectare, esse membra corporis Christi, etc. Ecclesiam accipit sensu magis limitato secundum id quod est in ea nobilius, quodque ex Christi voluntate deberet esse, quodque permanentiter est et in hoc seculo et in futuro. Hinc per metaphoram malorum humorum non illud significatur quod peccatores nihil commune habeant cum iustis, sed quod sint in eiusdem corporis unitate, at infirma membra, secundum spiritum ab iis separata. Quod vero dicitur bonis solum factam esse potestatem baptizandi etc. adverte dogma, quod totis viribus adstruit Augustinus adversus Donatianos, hoc esse: baptismum et alia Sacramenta dari posse et a malis; nec a meritis hominum pendere valorem Sacramenti, sed ab eo, de quo dictum est: hic est qui baptizat (Cf. Tract. VI. in Ioan.). Cur ergo ait Augustinus quod potestatem baptizandi Christus Episcopis dedit, non iniquis, et quod homicidae non habent potestatem baptizandi et remittendi peccata? Nimirum responsio est Augustini ad hominem. Aiebant adversarii: Christus non dedit potestatem hanc haeticis, sed Apostolis aut Ecclesiae, ergo haetici non possunt baptizare: respondet Augustinus: neque homicidis, avaris, iniquis Christus potestatem hanc dedit, et tamen secundum vos ipsi baptizant. Quae quidem responsio vera quoque in se est, quatenus non solum Deus non designavit huiusmodi homines qua tales, ut ministros suorum Sacramentorum; sed quatenus voluit

per se ut boni tantum licite conferrent sacramenta sua, sicut voluit ut in sola Ecclesia sua licita esset administratio Sacramentorum.

Negat autem Augustinus malos esse super petram, quia audientes verba Christi et non facientes (Matth. VII, 24. seqq.) aedificant super arenam, non super petram: scilicet *esse in petra, esse aedificatum super petram* ratione habita verborum Christi Matth. VII. non est tantum petrae Ecclesiae adhaerere, et esse in Ecclesia: sed perfecto et utili modo adhaerere petrae ac esse in Ecclesia, ita ut vero sensu dici non possit quod sit super arenam. Qui vero praedestinati non sunt negat ad Ecclesiam spectare quae praeparatur ut sit, non quae nunc est.

Itaque sententia Augustini non alia est reapse a sententia Bellarmini aliorumque Theologorum qui asserunt malos, licet non sint membra viva per caritatem, esse tamen vere membra Ecclesiae quae una est non duplex. Cf. Bellarminum l. c. Alcotium in Summa Augustiniana P. III. q. 1. a. 3.

§. XII.

Sic adumbrata exterioribus lineis Ecclesiae notione, nunc penitius eius natura rimanda est. Quia vero Christus Ecclesiam instituit instituendo auctoritatem apostolicam (II), et proprietates omnes quae Ecclesiae insunt, vi huius auctoritatis ei competunt, ideo in ea uberiorius declaranda primum immorandum est, et primo agendum est speciatim de eius subiecto ex divina institutione.

Christus potestatem instituens Ecclesiae suae, non eam universo fidelium coetui communicavit ut ab hoc certis ministris delegaretur, sed certis personis immediate contulit propagandam perpetuo ab illis in alios qui determinato ritu et legitima auctoritate assumerentur: quocirca ex Christi institutione ac iure divino repetendum est discrimen quod inter clericos laicosque intercedit.

I. Cum quaestio agitur de subiecto auctoritatis socialis distinguendum est accurate inter ipsum et finem cui eadem auctoritas est ordinata. Omnis enim potestas socialis non in bonum et commodum illorum qui eam obtinent, sed aliorum qui gubernantur est instituta. Hoc enim interest herilem dominationem inter et domesticam ac socialem praefecturam, quod in ea ad domini commodum gubernatio dirigatur, servus enim est aliquid domini et propter ipsum est, gubernatio vero domestica vel socialis eorum gratia est qui reguntur et ad subditorum bonum ordinatur. Quare quaecumque respublicae in communem utilitatem intentae sunt, eae sunt rectae, quae vero

privatum tantum eorum qui praesunt emolumentum spectant, vitiosae sunt; transeunt enim ad herilem dominationem: atqui civitas societas est liberorum. Ita Aristoteles Polit. Lib. III, c. 6. Itaque si quaestio fit quinam sint ii propter quos potestas Ecclesiastica est instituta, hi sunt omnes qui gubernantur, fideles omnes, nempe Ecclesia. Omnia vestra sunt sive Paulus sive Apollo sive Cephas.... vos autem Christi, Christus autem Dei. I. Cor. III, 22. Hinc cum hic sit character communis cuiuscumque formae recti regiminis, ex eo nequit discrimen colligi unius formae ab alia.

Verum aliud prorsus est potestatem socialem esse propter utilitatem regendorum, aliud eos, qui regendi sunt, esse subiectum saltem primarium eius potestatis. Differunt enim haec formaliter, ut patet: differunt etiam materialiter, quatenus non est consequens, ut ii propter quos est potestas, sint eiusdem subiectum. Sane bonum domus totius est finis potestatis paternae, quae tamen nullo modo est in filiis aut familiaribus; quemadmodum illuminatio oculorum finis est lucis solaris, quin tamen subiectum emittens lucem sint oculi, sed sol. Nimirum quod potestas sit in bonum aliorum hoc tantum ius tribuit ipsis ut ea potestas in eorum utilitatem exerceatur, iique bene gubernentur, id autem per se praestari potest etsi subiectum possidens auctoritatem etiam primarium et radicale non sint omnes, sed unus homo. Quocirca nihil infirmius eo *infallibili firmamento*, quo olim Schola Parisiensis, teste Richerio, munitur; ait enim (de Eccles. et polit. potestate c. 1.) « vulgare est atque indubitatae fidei axioma, Deum et naturam prius atque immediatius ad totum suppositum quam aliquam partem suppositi quamvis nobilissimam intendere; eamque ob causam, facultatem videndi e. g. toti datam esse homini, ut per oculum tanquam per organum et ministrum hominis exerceretur: nam oculus per et propter hominem existit. Schola Parisiensis hoc infallibili munita firmamento, congruenter ad mentem omnium antiquorum doctorum Ecclesiae, perpetuo constanterque (ab aetate scilicet Concilii Constantiensis sub initium sec. XV) docuit, Christum fundando Ecclesiam prius, immediatius atque essentialius claves sive iurisdictionem toti dedisse Ecclesiae quam Petro, seu quod eodem redit: Claves toti contulisse Ecclesiae, ut per unum ministerialiter exercerentur. Quandoquidem tota iurisdictio ecclesiastica primario, proprie ac essentialiter Ecclesiae convenit, Romano autem Pontifici atque aliis Episcopis instrumentaliter, ministerialiter et quoad exsequutionem tantum, sicut facultas videndi oculo. Omnia enim vestra sunt (idest Ecclesiae) sive Paulus etc. ex I. Cor. III, 22. » Hoc ineptissimum sophisma, ut liquet, innititur totum confusioni idearum finis et subiecti potestatis. Nec facultas vi-